

Canones medici ... / auctor Sveno And. Hedin.

Contributors

Hedin, Sven Anders, 1750-1821.

Linné, Carl von, 1707-1778.

Uppsala universitet.

Publication/Creation

Upsaliae : Apud Joh. Edman, Regiae Acad. Typogr, [1775]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wqmw6dgc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Sup. 59460/13



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30520629>

|| D. |D.
CANONES MEDICI,

Quos,
Dissertatione Medica ;
Venia Exper. Facult. Med.
In Reg. Acad. Upsf.,

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo atque Generoso

D. D. CAROLO a LINNÉ,

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI,
S:Æ R:Æ M:Æ ARCHIAT. MEDIC. & BOTAN PROFESS.
ACAD. PARIS, PETROP. ETC. MEMBRO, ET FAC. MED. EDING. SOC. HONOR.

PRO GRADU DOCTORIS,
Publicæ disquisitioni proponet

AUCTOR

SVENO AND. HEDIN, Phil. Cand.

Stipendiarius Kåhreanus
Smolandus.

In Aud. Carol. Maj. D. 29 Nov. 1775.

H. A. & P. M. S.

UPSALIÆ,

Apud JOH. EDMAN, Regiæ Acad. Typogr.



S:Æ R:Æ M:TIS.
 ARCHIATRO,
 Equit. Aurat. de Stella Polari,
 Regii Collegii Medici Præsidi,

atque

Acad. Imper. Nat. Curios. Reg. Societ. Scient. Ups.
 Nidros. ac Reg. Acad. Holm. Membro.

Nobilissimo & Experientissimo Domino

D. ABRAHAMO BÆCK,

PATRONO SUMMO.

*Vir magne, est, vereor, Tibi munera parva clientem
 Maxima promerito reddere, grande nefas.
 Ostia sed timido qui pulsat pollice, fœtum
 Audacem Domini gratia certa facit.
 Sit licet incomtus, tamen hic Tibi pingere possit,
 Quam patrius sancto ferveat igne focus.
 Namque ut Te facilem das cuilibet atque serenum,
 Consilium vel Te qui prece poscit opem;
 Me sic haut aliter, Patronum summe, fovisti,
 Progeniem cavam quam solet ipse parens.
 Sit mea nunquam non tanto fortuna favore
 Tuta Tuo, curæ pars ego sinque Tuæ!
 Te dulcis maneant & longæ præmia vitæ,
 Et Prolis videas commoda multa, precor!*

Permansurus, dum vixero

NOBILISSIMI ET CELEBRATISSIMI NOMINIS TUI

cultor & cliens humillimus
 SVENO AND. HEDIN.



§. I.

Omnium Scientiarum, quæ post tot Annorum experientiam, tantosque Summorum Virorum Labores humanum Genus ornant, nulla existit adeo conjecturalis, quin quosdam saltem Canones ostendere queat, quibus innixa, dogmata sua explicare satagit. *Mathesis* suos habet certissimos, *Physica* suos, ceteræ. *Medicinam*, scientiam licet omnium præstantissimam, meris tamen superstructam conjecturis, omnique destitutam certa ratione, ipse *Plinius* & omnes fere, qui pristino vixerunt tempore, crediderunt. Hoc nostro, quo jam vivitur, scientiis licet maxime illustrato, forsân nec desunt olores, quos, vi Veteris Adagii, ignorantes merito vocamus. Scientia Medica ingenia prorsus Secularia Statoresque habuit, sic ut nulla sit Medicinæ pars, quin a Summis in Ordinem redacta Magistris. Hinc etiam nostro ævo ad illud fastigium est evecta, ut ceteris minime sit postponenda. Etenim omnibus erroribus celebratissimorum Virorum opera fere jam remotis, Medicina adsertis æque indubitatis superstruitur, ac ipsa *Physica experimentalis*. In præsentī hac dissertatione *Canones* quosdam *Medicos* proponere in animum induxi; Ejus enim sunt indolis, ut Medicus, his ignoratis, firmo nunquam talo insistere queat, dum, e contrario, horum solertia nixus, Ægrotos optatam valetudinem feliciter recuperaturos certus sperare potest.



§. 2.

Natura optima morborum Medicatrix.

Sapientissimus Creator, cunctis animalibus facultatem quandam innatam esse voluit, quæ custodis instar, ad omnia ea adtenderet, quæ in corpore fiunt, ne aut excessu aut defectu machina destrueretur. Ex effectibus suis hanc novimus, illamque *Naturæ* nomine insignire solemus; Quid autem sit natura, quisquis, ingeniosissimus licet, se nescire fateri cogitur. *Mentem* & *Naturam* in corpore functiones prorsus diversas peragere, neminem, vel paulum adtendentem, fugit. Mens cogitat & de rebus extra se judicat, Natura autem in perpetua est actione, adeo ut, hac cessante, ipsa cesseret vita. Docta est a nullo licet edocta. Hinc infantes, qui acido in primis viis laborant, nullaque nec experientia nec institutione edocti, carbonaceam quamcunque & calcaream materiam ingurgitare videmus, acidum ut temperetur. Decipi non potest natura, & ea, quæ corpori salubria sunt, optime novit: Noxium quodpiam, si in corpore fuerit receptum, maximos facit conatus, ut expellatur, anxia semper ipsius conservationem quarens. Si vulneratum fuit corpus, in sanando vulnere intensissima, novas generat fibras, cuteque cicatricem obducit nova, id, quod Medicus nulla sua arte efficere potest; Ossa fracta conglutinat & omnia in corpore læsa reparat. De Chirurgo legimus, qui omnia incassum tentasset in curando intestini recti prolapsu, tandem candente ferro se intestinum ablaturum simulavit, quo terrefactus Ager, intestinum sua sponte reposuit Natura.

§. 3.

Natura repugnante, Medicina nil valet.

Quo verius est naturam optimam esse Morborum
medi-



mediatricem, eo certior evadit hujus Canonis veritas. Medicus quamvis Theoria & Praxi consummatissimus, invita tamen natura selectissimis Medicamentis nihil proficit. Chirurgus emplastris omnique suo adparatu, in minimo vulnere sanando nihil efficit, ubi Natura Medicinam respuit. Vomitus adhibitis paregoricis & opiatibus non sistitur, quamdiu putridum quodpiam in ventriculo latet, perpetuo nauseam movens. Hæmorrhagiæ nulla Medicina sanabilis, mentionem facit Boerhave. Puerum quendam vulnere laborantem, qui nullo negotio a Chirurgis sanari potuit, tandem sanavit Gen. Dus: Præses, frustula ossea sublata, quæ coalitionem impediebat. Strumæ puerorum omnem sæpe illudunt artem; ad sequentia itaque attendendum.

§. 4.

Quo natura vergit, eo ducenda.

Medico curæ nihil magis esse debet, quam ut naturam pressa quasi pede sequatur, si enim optat ut sua remedia felici coronentur successu, sciat se Naturæ esse Ministrum. Quamdiu imperturbatum manet corpus, sanum est, ubi autem vitio Diætæ turbata fuerit sanitas, morbus existit; Hic autem nihil aliud est, quam vehementior naturæ nîsus, quo malo se liberet, id quod aut vomitu vel diarrhoea, aut sanguine vel sero peragere plerumque solet. Hinc Medicus ad ægrotum vocatus, si viderit, ipsum nausea & vomitu laborare, sibi non minus, quam ægroto male consuleret, si talia præscriberet medicamenta, quibus vomitus sisteretur, natura enim satis superque convincit, se vomitu esse curandam. In Febribus ubi semper a miasmate deglutito existit ad vomitum nîsus, ante omnia, Emetica propinanda, quæ naturam sublevare possunt. Si in his crisin per sudorem futuram animadvertimus, quæ diaphoresin augent mini-



me intermittenda. Hemorrhoides, nunquam licet sint procurandæ, si tamen tanta sanguinis moles ad vasa hæmorrhoidalia fuerit progressa, ut nimium doleant, repellentia prorsus erunt rejicienda, quippe quæ hæmoptysin aliaque longe intolerabilia mala producere possunt, sed potius Natura, hirudinibus adplicatis, sublevanda.

§. 5.

Natura, data porta, eo ruit.

Varia sunt exempla hujus Canonis veritatem comprobantia. In Apoplexia sanguinea, causam suam, a ruptis intra calvariam vasis, repetente, Medici Sanguinis missione certius ignorant medicamen, quo per amplum vulnus a capite derivetur sanguis, dum venæ extravasatum absorbent, quo facto, a pressione liberatur Cerebrum. Quando a contusione, sanguis in telam cellulosa fuerit effusus, Venæ sectione utimur, quo, sanguine venis resorpto, inflammatio resolvatur. Gonorrhoea virulenta, si adstringentibus intempestive fuerit intercepta, virus eo ruit, quo porta patet; Hinc apud Auctores non infrequens fit mentio, idem per nasum, coryza heic stimulante, pleno quasi alveo fluxisse. In Phthisi a distillantibus acris humoribus fetacea congruentia judicant Practici, ut, hac data porta, a pulmonibus vertatur malum. Per ulcera cacoëthica ipsum sæpe effluxisse chylum, nullo non tempore observatum.

§. 6.

Evacuationes binæ simul vix persistunt.

Unicus si excipiatur morbus, cholera scilicet, axiomate clarior hic Canon. Salva Natura, fieri non potest, ut binæ simul persistant evacuationes, unde etiam de hac veritate certiores facti Medici, vo-

mi-



mitum curant diarrhoea. Ubi hæmorrhagiæ narium nulla alia medela, venam secari Artis periti jubent, fati gnari ex binis evacuationibus effectus.

§. 7.

Dolor dolorem trahit.

Medici, si hac destituerentur spe, desperatis rebus in Podagra & Arthritide retrogressa, Ægrum fato suo relinquerent; si autem dolorem, illo intensiorem excitare Possunt, quam quem materia morbifica excitavit, hoc loco morbus cessat. Hinc etiam sua moxa veteres podagram ad pedes revocarunt facile, id quod vesicatoriis & sinapismis, nostrates æque facile obtinent. In Variolis, dum pustulas a facie derivare cupimus, pediluvii & Sinapismis pro scopo utimur, effectu raro deficientibus. In Ophthalmia, Synocha, cucurbitulis scarificatis, immo etiam in Gonorrhoea intempestive clausa, ceris medicatis fluxum provocamus.

§. 8.

Omne evacuans debilitat.

Quæcunque fuerit evacuatio, corpus enervat & debilitat, hinc etiam ob catamenia feminae viris longe sunt debiliores. Qui Diarrhoea per quosdam tantum dies laboravit, pallore faciei & membris tremulis debilitatem lat prodit. Gonorrhoea laborans inveterata, vires adeo perdit, ut tremorem artuum fere per totam vitam ferre cogatur. In Febribus inflammatoriis, ubi circulatio sanguinis intensissima, repetitis Venæ sectionibus, tandem coercetur. Juvenis cujusdam Boerhave meminit, qui paralyticum habuit brachium post evacuationem nimiam sanguinis, vulnere factam. Tabaci fumatores fere semper macilenti sunt, pariter ac qui rebus venereis nimium indulgent. In India Orientali, ubi solis æstus



stus maximus est, incolæ ob sudorem nimium sola cute ossibusque consistere crederes.

§. 9.

Venena curant, esculenta conservant Corpus.

Ut hic rite intelligatur canon, explicandum erit, quæ sit differentia inter venena & esculenta. Venena ea adpellamus, quæ minima licet adhibita quantitate a corpore respuuntur, dum contra, esculenta ea reparant, quæ quotidie motu & frictione a corpore teruntur. Omnia medicamenta, ut venena considerata sunt, quia corpus alterant, agendo vel in fluidis vel in solidis, vel maxime in systemate nervoso, præter acria. Hæc ipsa venenatissima, observatis observandis, optimam nobis præbent Medicinam. Elaterium exempli causa nominasse sufficiat. Cum his haud aliter comparatum est, ac cum novacula, quæ quo acutior fuerit, eo melior & hebetiori semper præferenda.

§. 10.

Natura expellit Toxica simulque impura.

Nuperrime explicavimus illam esse venenatorum indolem, ut a natura statim expellantur. Heterogeneo itaque in corpore existente, toxica propinanda judicat Medicus. Etenim natura hæc nullo modo perferente, eo ipso, quo toxica exterminare studet, impura quæcunque simul expellit. Hoc sat lucide ex purgationibus adparet, ubi non solum primæ viæ purgantur, sed ipsa quoque sanguinis massa, id quod rationibus ex Physiologia petitis facile explicatur. Hinc etiam in Odontalgia rheumatica Sialagogis eliminatur malum; fontes enim natura aperit omnes, ut abluantur acria, dum simul materia noxia ejicitur. In febribus intermittentibus propinato emetico, naturam simul cum veneno, viscidam
ex-

expullisse materiam, notarunt observatores, qua sublata, sanitatem mox recuperarunt ægroti.

§. 11.

*Venenatissima a minima dosi, sufficiente vehiculo
incepta, heroica evadunt.*

E toto regno vegetabili nullum adeo cognoscitur perniciosum venenum, quin moderata dosi & sufficiente vehiculo sublutum, propinari queat. Absit, ut Veterum sequamur sententiam, fugiendo venena, etenim non datur venenum nisi a dosi, & dum a minima incipimus, lente progrediendo ad majorem, maxime heroica habemus. *Opium, Spigelia, Hyoscyamus*, ceteræ, effectus, fidem superantes omnem præstiterunt, ubi in manu periti fuerint rite administratæ, dum contra, *Medicamenta heroica in manu imperiti sunt, uti gladius in dextra furiosi*. Sæpe dum Hannibal ante portas, ab orci quasi faucibus heroicorum usu fuit ereptus æger. In Variolis confluentibus *opium* sacra ancora; in passione Illiaca, a spasmis scilicet originem ducente, forsan ab aliis causis, unicum. Quid si heroica talia fugeret Medicus? brevi certe cum ægrotto esset actum. Cautelæ tamen heic variæ observandæ, ut status ægroti quam maxime respiciatur, si enim splendescere incipiunt oculi & pupilla dilatari, sciat Medicus sibi esse adquiescendum. Mercurius sublimatus, venenum quamvis inextirpabile, sufficienti tamen si adhibetur vehiculo, ut adeo particulæ diluantur & dosi simul moderata, in Lue venerea id præstat, quod aliud prorsus præstare nequit remedium.

§. 12.

Consuetudo debilitat Medicamentum, sæpe mutatum arguit ignorantiam.

Medio hic Medicus tutissimus ibit; ab altera enim parte

parte consuetudinem sibi oppositam habet, ipsa venena irrita facientem, ut de Rege Mithridate narrant historiae, ab altera caveat, ne, priusquam explorata satis Medicamenti vi, novum propinet, sicque ægroto & adstantibus incertam ignorantiam prodat. In chronicis morbis maxime medicamenti opus esse, experientia docuit, si autem Medicus, sine debita adtentione, eadem sæpius repetit medicamenta, consuetudine tandem fracta natura, iis nihil efficit, quæ alii insveto porrecta, præsentissimum ostenderent effectum. Turci, apud quos adeo obtinuit opii usus, ultra duos scrupulos progrediuntur, id quod tertia parte apud nos sumtum, certam adferret mortem. Abstemio spirituosæ minimæ dosi Medicinam præbent, Helluoni, vel maxime quantitate sumta, parum corpus alterant.

§. 13.

Medicamentum curat Speciem, raro Genus Morbi.

Species morbi a causis desumendæ sunt, & prout hæ variant, variæ quoque existunt species, suum quæcunque requirentes medicamentum. Res autem ut clarius evadat, exemplis est collustranda. Si quis *Vertigine* fuerit correptus, sisyphi saxum volueret Medicus, generali quodam remedio Genus morbi curaturus, ubi causæ diversissimæ adeo naturæ, Species æque diversas faciunt. Etenim nullus non videt, alia adhibenda remedia, dum a vitiis intra calvariam existentibus, originem trahit, (Si quid in his Medicus potuerit,) alia a plethora, a Scabie retropulsa alia, a collari denique nimis adstricto alia. *Epilepsiæ* nec minus variæ sunt causæ; *Poeoniam*, *Valerianam* extollunt Medici, parum tamen profuturas, ubi depressio calvariæ, vel caries ejusdem morbum generant. Gummi Ammoniacum, sacra licet in Asthmate humoralis sit ancora, irritum tamen Medico foret,

fi



si a Vomica causam repeteret species morbi. Tinctura cantharidum præstantissimum licet omni tempore habita est diureticum, sin autem in Ischuria a Vesicæ inflammatione præscriberetur, idem esset, ac fomentum igni præbere. Hanc quoque reputandam statuimus causam neglectus Selectissimorum Medicamentorum; Medicus enim ignarus, in qua demum Specie Morbi hoc vel illud sit Specificum, postquam repetitis vicibus in diversa longe specie tantavit incassum, ut nocuum prorsus in desuetudinem venit.

§. 14.

Qualitate vis Medicamenti detegitur, experientia confirmatur.

Ab odore & sapore omnes cognoscantur plantarum qualitates, quæ Medicum nunquam decipiunt. *Systemate enim, qualitate & experientia, eruitur omnis usus plantarum.* Cui hac de re Aqua hæret, non dubium quin vitia cerebro hæreant. Rem autem tantæ utilitatis Generi humano, cui detegere reservatum fuit, plus præstitit quam qui metallorum fodinas ditissimas detexit. Ubique terrarum jam Medicus deget, a priori de obviis sibi plantis judicare potest. Hinc si amarissimam invenerit, illam in omnibus illis morbis profuturam judicat, qui acido causam debent. Tetrum si spargit odorem, ipsam veneni quodpiam habere, luce clarius est. Si autem experiri simul licet, quæ a qualitate medicamenti constat, omne adeo dubium removetur, ut firmissima fiat medicina.

§. 15.

Qui miscet contraria contrariis, idiota est.

Scientia Medicorum Veterum in eo fere consistebat, ut maximam Medicamentorum molem in unam



formulam congererent, diversissimæ prorsus compositionis, qualitatique; *Mithridatium* & *Tberiaca Andromachi* hoc satis probant. Composita e Medicina fere proscriberentur, simplicia optime agunt, & ubi hæc præscribit Medicus artis suæ peritus, de remedii effectu non dubitat. Nam ut svadet *Villanov.*; qui postest mederi simplicibus, doloſe & frustra quærit composita. Cui sententiæ accedit *Hoffmannus*: qui longas remediorum formulas præscribit, aut dolo peccat aut ignorantia. Addi potest; si a compositis tandem sequeretur effectus, cuicumque demum ingredienti sit adscribendum, detegi vix potest, unde in Medicina confusio maxima. Ast ubi contraria miscentur, ignorantia notam vix ullo modo effugit Auctor. Pingvia & acria, acida & Amara in eadem formula congesta, non possunt non idiotam prodere. Ubi in pilulis salia præscribuntur facile deliquescentia, in emulsionibus quæ album mutant colorem, nec melius res se habet.

§. 16.

Contraria Contrariis curantur, Morbi Morbis.

Omnia in tota rerum Natura contraria esse, demonstratione vix egere videtur. *Calor* & *frigus*, *lux* & *tenebræ* invicem opponuntur. *Calx* & *humus*, hic plantis destruendis originem debet, illa Animalibus. In homine sunt *Cerebrum* & *Corpus*, *cruor* & *sangvis*, verbo: omnia opposita. Contraria autem contrariis curari æque est indubitatum. Qui *Apoplexia* laborat, si in *paralysin* abit malum, *Apoplexia* curatur; id quod accidit, Si *Synocha* fuerit correptus æger. *Mania* tollitur *Dysenteria*, *Epipho-ra* *Diarrhoea*, *Pleuritis* *Hæmorrhagia*. *Convulsiones*, ultima naturæ conamina, *Lethargo* sopiuntur & contra. *Hydrops* curatur *Diabete*, *Polyſarcia* *Marasmo*, *Cephalalgia* *Coryza*. *Flatulentia* tollitur *Ructu*, *Nausea* *Vomitu*, *Amblyopia*
Epi-



Epiphora. Adeo ut si contrarios semper excitare posset Medicus morbos, nullus vix existeret incurabilis.

§. 17.

Ubi unica via salutis, illa licet cum periculo tentanda.

Eo cum processit malum, ut hic obtineat Canon, Ægro necessario moriendum, si quæ superest salutis via intentata relinquitur. In Ulceribus malignioris indolis, dum cortice peruviano impediri nequeat, quin Sphacellus irruat, amputatio tandem est adhibenda, ne a Membris per totum dispergatur corpus. In Vesica, si calculus latet Lithontripticis omnibus frustra tentatus, ejusque molis, ut per uretram progredi nequeat, ad sectionem tandem veniendum, & sic in ceteris. Famæ autem si consultum cupit Medicus, adstantes certiores faciat, necesse est, in quanto jam discrimine versetur æger, si enim progressu ultima tentaverit, Animam sciant ægroti ipsum a tartaris quasi revocasse, sin vero frustra fuerit ipsius opera, ne dicant: Medicum occidisse, quem ipsius fors interemit.

§. 18.

Temporibus Medicina valet, data tempore, prodest.

Suo tempore & congruentibus Medicamentis nihil fere incurabile est. Tempus lucrari si Medico licet, illa sæpe servari potest vita, cui, per semihorium sibi relicta, misere pereundum erat. Inflammatio initio probatis remediis facile resolvitur, sin autem in Sphacelum abit, vix medela Superest. Hydrops increlcens brevi cedit medicinæ selectæ, ubi autem altiores egerit malum radices, Medicorum evadit Scandalum. Phthisis, dum prima suæ signa prodit, medicamenta raro irrita, confirmata autem



tem *Aesculapium* illudit ipsum. *Ætas* ægroti non parum juvat. *Vulnera*, fracturæ aliaque innumera mala in puero facile curantur & juvene, ubi blandi humores & natura prona *Medicamenta* sublevant; In sene e contrario, licet vel minimum esset malum, irrita tamen pleraque; Natura enim debilitata ad interitum suum properans, minimo destruitur. Hæc autem breviter de *Canonibus Medicis*, Tibi, B. L. tradimus, plura adferri possent, vetat autem tempus, prohibet *Res angusta domi*. Itaque manum de *Tabula*.





